

BIBLIOTEKA ZAHINIECKA


LIBRARIÆ COL LEGII MAIOR CRACOVI


KASPER PAWLIKOWSKI
MEDYKA
EX LIBRIS


KASPER PAWLIKOWSKI
MEDYKA
EX LIBRIS

EPICEDIVM,

IN LAVDEM PERPE-
TVA MEMORIA CO-
LENDI, GENEROSI O-
LIM NICOLAI KORI-
CZINSKI, DE KORI-
THNO, EQVITIS POLONI,
EDITVM.
&c.


Ab Alexandro Sanuto Venetia-
rum Patricio.
&c.

IN GRATIAMQz GENE
ROSORVM NOBILIVM,
NICOLAI, ANDREÆ ET
IOANNIS CORICINIO-
rum Fratrum, defunctiq́z
Filiorum.



Anno Domini M. D. Lxxj.

IN ILLVSTRIS STEMMATIS HVIVSCEMODI GRATIAM, ET SPLENDOREM. ELEGIA.



STemma, quod hîc pictũ spectas, ô lector amice,
Illustre, antiquum, magnificumq́; scias.
Nanq́; Palatini, Castellaniq́; fuere:
Cracouiæ plures, hac pietate sati.
Nunc SANdomiriæ, Castellanatus, & ambo
VOiniciæ, & BElzæ Stemmatis arma gerunt.
Sæpe, suam patriam iuuit, diuina propago
Hæc, proprijs opibus, consilioq́; suo.
Iamq́; omnis mœret: quoniam rea Parca ligauit
Fila CORIcinij: funera cuius agam.

EPICE-

EPICEDIVM, IN OBITVM GENE-ROSI OLIM NICO-LAI CORICINII, DE CORITHNO EQVITIS POLONI.



Alexandro Sanuto autore.

SIcnè tuos linquis natos ætate tenella:
O genitor, genitor, iam resupinus humi?
O recolende pater: mea spes virtutis habendæ.
O desiderium, consiliumq́ meum.
Hunc dedignaris mundum spurcásue latebras?
Fiat. Eo, quod nos deseris, ipse querar.
Est patris interitus, genitis, dolor arduus, illis:
Qui sine, se norunt nil valuisse, patre.
Si tua vis ergo nostra est: cur sistere fletu
Aßiduo, & lachrimis, possumus? Ecce cado.
Fle NIcolae patrem: Fle ô Andrea. Ipse Ioannes
Inquiram, chari, tristia fata patris.

Mereo, contristorq; miser. Diuina potestas,
Cur infelicis non miserere mei?
Mortuus est hodie genitor: spes vnica nostrûm
O fratres, nobis, qui dedit, esse viros.
Qui tribuit nobis vitam, moresq;, Deiq;
Æthereos cultus, pluraq; in orbe bona.
Nescio quid faciam? consultum posco. Recessit,
Ex mundo, vitæ pars, animæq; meæ.
Nescio quid faciam? moriar fortasse querelis
Tot, post dilectum, qui petit astra, patrem.
Nescio quid faciam? Fratres succurrite fratri:
O consanguinei, stirps & amica mea.
En quod adhuc iuuenes, nos, hac florente iuuenta,
Deserit in rabiem Sortis, Amoris, opum.
Non erat hæc proprij genitoris acerba voluptas:
Sed diræ Parcæ, vis nocitura mihi.
Quod magis hoc credo. Veneris, nam trinus, in hora
Bis, fuit, vndecima, cum pater astra petit.
Fiat vtroq; modo, sum deplorare coactus
Illius interitum, quo generatus eram.
Moribus egregium, & celso de sanguine cretum
Audieram iuuenem, talibus ore queri.
Sic adeò mæstus fuerat, quód credo, lapillos
Plangere fecisset, pro pietate sui.

Huius vt-

CORICINII.

Huius vt inquiro agnomen, nomenq;. IOANNES
Ille CORICINIVS dicitur: alter ait.
Filius est huius defuncti, ætate minorq́;,
Qui properat, patriam iam coluisse tuam.
Aßiduo gemitu, & lachrimis plorare parentem
Cum binis alijs fratribus ipse solet.
En NIcolaus honor patriæ, qui funera chari
Sollicitat patris, nocte, dieq́; sui.
ANdreasq;, sua cum coniuge, plorat: at iste
Solatur, proprio coniugis obsequio.
Tota domus luget: nigrisq; togata cucullis
Nobilitas, corpus iam sepelire parat.
O insigne sacrum, proceres quo laude fruuntur
Sarmatiæ, signum quæso doloris age.
TENcinij te sunt, OSsoliniiq;, togati:
PLazouii, ZDnucii, TArlo Grauesq; viri.
Quale patris fuerat mucratæ quippe securis,
In campo rubeo purpureoue sitæ.
Conqueritur densis lachrimis generosa propago
Matris OLEsniciæ, quæ modo humata iacet.
Hæc pia progenies gaudet fulgentibus armis,
Calceoli ferri, sub pede qui stat equi.
In medio, cuius cœlestis, vtroq́; coloris,
Splendida crux, croceo picta colore vides.

SBOROVIA vt soboles, MISCOuia sicq; tulere
Hæc vexilla crucis, qualia calce patent:
Celsa propago pia hæc Heroum, sæpe, coronam
Sarmatiæ iuuit, sedulitate sua.
Sæpe Palatini, Castellaniq;, supremi
Cracouiæ, his armis iamq; fuere, soli.
Cæsar vterq;, graui, gaudet sermone recepto
Istorum, quos iam non memorare queo.
Tempora nanq; iubent, me nunc complere dolores,
Exequijs iunctos, quas recitare volo.
Maleciæ sobolis proceres virtute sereni,
Cum fletu, & lachrimis, impia fata vocant.
Protulit hanc stirpem, trina, confossus ab hasta,
Visus Alexandro, vix animatus homo.
Rex, hunc languentem spectat, quòd viueret expes.
Vix viuus, Regem talibus ore petit.
Plus ego, vicinum, quam vulnere, tristor ob hostẽ:
Qui iacet, in campis, me renuente, meis.
Magnanimo stupidus responso Rex pius, illi,
Præstat opem: qua hostem pellerat inde suum.
Pectore, quas habuit, tres hastas, transtulit armis,
Rex hic Alexander, haud secus ipse vides.
Stemmata de tali, omnis SECIniouius heros
Ecce cadauer humi, quòd sociare cupit.

Hocde-

Hoc decus armorum, defuncti mater habebat:
Quem modo deplorant, stirps honorata virúm.
Nec minus interea, affinis tristatur, iniqua
Morte, SVIencinius, veste togatus atra.
Matris enim istorum, qui plorant fata parentis,
Diua parens, tali stirpe, creata fuit.
Omnis homo luget: mœret, ploratq́ IOANNES,
Cum fratre ANDREA, filioloq́ suo. (ci.
Quid tamen efficiunt? Nil. Hoc sumus Orbe cadu-
Quid Deus ipse probat, vir reprobare nequit.
Noluit omnipotens, sub tot, residere, periclis
Orbe CORICInium, qui Nicolaus erat.
Est NIColaus enim nouus: hic CORIcinius alter,
Splendor honestatis, dulcis imago patris.
Sexdecimum & trinum, quando compleuerat annū M.D.viij
Vir pius ætatis, tunc cadit ille, suæ. Generoſ⁹
Milleq́ currebat Christi, post secula quinq́ olim Nic:
Octauumq́ annum, cum generatur homo. Koritczin
Vxor eum, longo, expectauit tempore: sic nos ski, ortus
Viuimus, & morimur. Nunc mihi crasq́ tibi. erat.
Dicere quid prodest innata pericula tanta,
Quæ tulimus: variæ diraq́ vota necis?
Non tamen omittam, egregiū hoc memorabile, fari:
Quod dignum exemplum, cuiq́ placere, scio.

 Omnipo-

Cracouiæ Sepultus in æde diuæ Trinitatis. 1571.

Omnipotenti animam velut ipse dicauerat: æde
Sic, Triados, tumulum struxerat ante suum.
Hora bis vndecima vt sonuit decimiq; diei,
Labenti Maio, Spiritus ex eo abit.
Omnis homo pariter, tali dignatur honore.
Mortuus est Christus, quisquis in orbe cadet.
Hæc mea verba nota: post quæ meminisse iuuabit
Augurium vera relligione ratum.
Quando cadauer humi sternetur: origo patebit
Tunc pluuiæ. Nam aer re lachrimabit ea
Tunc elementa simul flebunt: sed deinde serena,
Ipsius instabit lucis habenda dies.
Nocteq; erunt imbres Aurora aliaq; sequenti,
Quo segetes crescent, quemq; sequentur opes.
His aderit Rosa, quam colit officialis in vrbe
Cracouiæ, vt Præsul: tota cohorsq; sacra.
Inspicient animam celsas volitare per auras,
Si tamen ipsi, oculis, astra beata petent.
Gloria quæ est maior genitis, virtute paterna?
Gratia quæ melior, consuluisse Deum?
Si vir ad æthereas sedes ijt: atq; modesto,
Vixerat hîc ritu: quid magis ergo cupis?
Ille suos genitos spectat: gaudetq; salute
Natorum æterna: mæret & inde dolis.

Ille De-

Ille Deum verum, pura pietate, precatur,
Pro miseris nobis, qui sumus vmbra soli.
Relligio melior, quæ sit, probat ipse supernè.
O hominum pietas, o recolenda salus.
O quàm res facilis saliendi ad sceptra beata:
O quàm difficile est, voluere sortis opus.
Omnia sunt hominum vario discrimine iuncta.
Nunc Rex, nunc æger, vir grauis esse potest.
Quid valet imperium languenti corpore? Malo
Pauper & incolumis, quàm fieri æger ope.
Sæpe quidem cupimus, quod nobis deniq; partum,
In minimo spatio temporis, inde nocet.
Quam crapula, & potus prosit, scit corpus onustum:
Attamen in precio sunt, sine lege, dapes.
Vir pius hic olim semper contempsit, & odit.
Quasq; voluptates, iamq; cadauer adest.
Gloria virtutis precium est: Et tristia, vanæ,
Probra voluptatis: dedecus vnde venit.
Vita stat in subito, velut ac infamia, puncto.
Si bonus est finis, principium omne placet.
Cætera sunt hominum ludibria, præter habendam,
Omnipotentis, opem, qua sit imago Dei.
Qui bene viuis humi, felicior omnibus, esse,
Post latebras mundi, regibus ipse potes.

EPICEDIVM.

Ergo magis gaudere licet, quam flere parentem,
Qui, super astra, satos, conspicit orbe suos.
Cæsaris imperio, multo magis ille potitur,
Quod modo si dubitas, insipientis erit.
Seruitium extremum natorum est, dicere: noster,
In pace æterna, Iam REQViesce, PATER.



BENIGNO LECTORI COMMENDATO-RIA.

ELEGIA E-IVSDEM AVTO-RIS.

COpia Thesauri à natis consummitur, ingens,
Causa ostendendi corpora humata Patrum.
Sit lapicidarum, aut pictoris imago: figuram, (mo
Mus & auis vastant: ignis, aqua, aura, et hu-
Panditur, & quanquam effigies astantibus, illic:
Non tamen est vltra, forma videnda viri.
Quod caret expressa, aut tacita virtute, relatum
Nil valet: & quod mus perdit, auisq; pede.

Sed non


Sed, non immerita, qui sunt probitate poetæ,
Carmine conscripti, semper in orbe vigent.
Gloria quorum aderit, longinquo tempora, tantùm.
Quanta poetarum vis erit ampla solo.
Hectoris, Aiacis, vel Vlissis nomen, Homerus,
Tempore tam longo, viuere fecit humi.
Non tamen asserti (vt multi sunt) arte Poetæ,
Qui sine natura, carmina nulla struunt.
Quando petes aliquid. Respondent. Nescio: nostra
Regula monstrabit. Turpe, nefasq; pati.
Quis fuit illius quæso autor, homoué: vel ipsa
Regula? quæ cecidit nempe valore viri.
Ergo viri virtus, non regula, præstat, habenda.
Assiduum studium plus valet arte rudi.
Vir virtute potest, vitijs si parcit oparis,
Plura arcana Dei, mente aperire sua.
Instar scyntillæ est etenim mens alma virorum:
Quæ flatu vt crescit, sic, sine, stat, vel inest.
Sunt tria, quæ complēt homines, faciuntq; beatos,
Sobrietas, pietas, virginitasq; simul.
Sunt tria, quæ vastant animos pietate serenos.
Flebilis impietas, splendida vina, venus.
Hæc præcepta nota. Si vis celeberrimus esse,
Sis pius, & sobrius, luxuriamq; caue.

Veris in

COMMENDATIO.

Dilige virtutem à vitijs: ratione caueto.
Inuigila vero, quo ſine nec vir eris.
Vtere menſuris: diuina poemata lauda.
Viue iuuans homines: viue labore tuo.
Solis enim forma, eſt, nobis oſtenſa labore:
Atq; Planetarum. Quid magis ergo cupis?





CRACOVIÆ
In Officina Matthiæ Wirzbietæ
Cum Gratia & Pri-
uilegio.

Gaudeat an quis, liber hic quo
Si quaeris hic liber quo lector amice patrono Gaudeat;
Ex Fateor perlege Certius eris.
Jacobus haud paruo Dzialecinus aere parauit,
Vt musam poliat ista legendo suam J.:

Alessandri Sanuto, venetiani patricii opera

Treść

Kupiłem w Rzymie
za lirów 103 16/1 1942 [illegible]




Biblioteka Jagiellońska
stdr0023002

